Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift

et demonibus sacrificare. Hec cum audisset
eusebius, iussit eas suspendi et in sto-
macho cedi. Sancta margareta respondit
Domine ihesu christe miserere nobis et esto pro-
picius in hac hora supplicacioni nostre sicut
fuissent dimisse. dixit eis eusebius Sacri-
ficate vel nunc, ne perdatis florem etatis
vestre. Sancte virgines dixerunt Anime nostre
et flores earum in proximo est ut inueniri
mereantur in paradiso. Tunc iussit eas in
carcere recludi, et alia die sibi presentari
vna cum aliis qui pro fide multo tempore
reclusi erant, et precepit ante eos adduci
diversa genera tormentorum ut videntes terre-
rentur. Ministri autem sicut eis iussum
fuerat impleuerunt. Tunc iudex ait sanctis
Numquid et vos christiane estis? dicunt ei.
Nos christiani sumus et non novimus deos adora-
re nisi vnum verum deum et dominum nostrum ihesum
christum per quem creata sunt omnia. Hec au-
diens eusebius iratus est et ait. Ista seduc-
tores sunt simplicium animarum. Nam potu-
erunt he puelle diis nostris sacrificare.
Et precepit sanctas dei virgines sequestrari, illos
vero martires domini mandauit decollari. Quos
christiani collegerunt et in tutissimo loco
posuerunt. Post hec iussit sibi eusebius
sanctas dei puellas presentari et cum eis diversa
genera tormentorum adduci. Et dixit eis. Vi-
detis quibus tormentis vitam vestram finire
decreui. Accedite ergo et sacrificate diis
Vincencia et margareta soror. Sacrifica-
te illis vos, quia cum ipsis ibitis in perdicione.
Audiens hec tirannus iussit eas eculeo su-
spendi. Et dum torquerentur leuauerunt ocu-
los suos in celum et dixerunt. Deus pater domini
nostri ihesu christi qui fuisti cum tribus pueris in
camino ignis ardentis et saluasti eos, li-
bera et nunc ancillas tuas, quia propter no-
men tuum has patimur penas. Et dum de-

ponerentur, visse sunt quasi nullomodo eas pena
nocuit. Quod cum vidisset iudex dixit
O quam peruerse gerimus nolentes diuicias
amittere seculares et imperatorum iussa im-
plentes venimus in eternam dampnacionem. nam
vere deus christus est qui liberat credentes in se.
Cumque hec diceret, surrexit et abiit
in domum suam et dimisit quintillum
assessorem suum qui principum iussionem adim-
pleret. Tunc quintillus iussit sartaginem
magnam preparari et in eam bitumen et picem
mitti et sub ea ignem supponi. Et cum
vidisset sartaginem ardentem, precepit mini-
stris suis ut eas sanctas virgines in sarta-
ginem mitterent bullientem. Dum hoc
factum esset divino precepto statim ignis
extinctus est et sancte dei virgines in medio
sine lesione apparuerunt. Dum hec quintillus
vidisset confusus iussit ministris suis
ut eas separatim in ima carceris reclude-
rent, ne et ipse sibi solacium preberent. Alia
vero die quintillus iussit sibi tribunal in
foro preparari. Et cum sedisset, iussit beatam
vincenciam primum adduci. Que cum ingre-
deretur dixit ei. Dic michi vincencia, adorabis
deos nostros ut viuas, aut variis tormentis
interimi? Ad hec vincencia intrepida
dixit. Vnum adoro deum et ihesum christum filium
eius. Nam diis vestris non sacrifico neque
margareta soror mea. Assessor dixit.
Te interrogaui non margaretam que in car-
cere reclusa est. Quare eam nominasti?
Vincencia dixit Quia et ipsa pro me orat
ut dominus dirigat mentis mee responsionem.
Quintillus ait. Insanis virgo. Et quantum
michi apparet nobili genere michi appares et
multum doleo generositatem tuam. Vincen-
cia respondit Si de carnali patre meo
gloriarer non me esse christi ancillam dixis-
sem. Audiens quintillus obstupuit et ea